

Carlo Borromeo

SUPPLICATIONES  
TEMPORE PESTIS  
(1577)



AMBROSIVS



In copertina: L. Garbieri (1580-1654), *San Carlo Borromeo che intercede per la cessazione della pestilenza*, c. 1610-11  
(Royal Collection Trust – Windsor Castle - RCIN 905319)

Royal Collection Trust / © Her Majesty Queen Elizabeth II 2020

Tutti i diritti riservati.

È vietata la riproduzione non autorizzata, anche parziale, di questo volume, con qualsiasi mezzo effettuata, compresa la memorizzazione elettronica, i microfilm e le copie fotostatiche, anche ad uso interno o didattico (art. 171 della legge 22 aprile 1941, n. 633 e successive modificazioni).

© 2020 Studium Generale Ambrosianum  
20100 Milano (MI)

[I.]

**Antiphonae pro arbitrio recitandae**

**Antiphona [I.]**

(Gl 2, 12; Ez 33, 11)

Convertimini ad me in toto corde vestro, dicit Dominus, in ieiunio, fletu et planctu; quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

**Antiphona [II.]**

(Sal 39, 13; 59, 13; 107, 8)

Circumdederunt nos mala, quorum non est numerus: da nobis auxilium de tribulatione; opera manuum tuarum ne despicias, Deus.

**Antiphona [III.]**

(Sal 118, 22.30; 43, 26)

Dies tribulationis et irae invenerunt nos: confusio et improperium cecidit super nos; et non sumus obliti te: exsurge, Domine, adiuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

**Antiphona [IIII.]**

(attr. Notker Balbulus)

Media vita in morte sumus: quem quaerimus adiutorem, nisi te, Domine, qui pro peccatis nostris irasceris? Sancte Deus, sancte Fortis, sancte Misericors, Salvator; amarae morti ne tradas nos.

**Antiphona [V.]**

(Sal 118, 22; Ap 4, 11)

Aufer iram tuam a nobis deprecantibus te: non sustinemus iram gloriae tuae: sancto spiritu tuo tu creasti omnia, quia populi tui sumus, et opera manuum tuarum; Domine, libera nos.

**Antiphona [VI.]**

(2Re 14, 26; Sal 19, 9; 64, 6; 106, 17; Mt 6, 9; Dt 4, 35)

Vide, Domine, afflictionem populi tui, quoniam amara est nimis. Humiliati enim sumus pro peccatis nostris: exaudi nos, qui es in celis, quia non est alius praeter te, Domine.

**Antiphona [VII.]**

(Bar 3, 2; Ger 14, 21.22)

Peccavimus ante te, Deus; ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, quia tu es Dominus Deus noster, quem propitium exspectamus.

*Psalmi etiam poenitentiales pro arbitrato dici poterunt.*

**[II.]**  
**Septem psalmi poenitentiales,**  
**una cum Litanii sanctorum**

*In fine uniuscuiusque sequentium psalmorum dicitur:*

Gloria Patri etc.

Sicut erat etc.

**Psalmus 6.**

*Domine, ne in ira tua arguas me etc.*

Domine, ne in ira tua arguas me, \*  
neque in furore tuo corripas me.  
Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine,  
quoniam turbata sunt ossa mea \*  
et anima mea turbata est valde; et tu, Domine, usquequo?  
Convertere, Domine, et eripe animam meam, \*  
salva me propter misericordiam tuam,  
Quoniam non est in morte qui memor sit tui: \*  
in inferno autem quis confitebitur tibi?  
Laboravi in gemitu meo:  
lavabo per singulas noctes lectum meum, \*  
lacrymis meis stratum meum rigabo.  
Turbatus est prae ira oculus meus: \*  
inveteravi inter omnes inimicos meos.  
Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, \*  
quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei,  
Exaudivit Dominus deprecationem meam, \*  
Dominus orationem meam suscepit:  
Confundantur et conturbentur omnes inimici mei, \*  
avertantur retrorsum, et confundantur valde velociter.

**Psalmus 31.**

*Beati, quorum remissae sunt iniquitates etc.*

Beati quorum remissae sunt iniquitates, \*  
et quorum tecta sunt peccata.  
Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, \*  
nec est in ore eius dolus.  
Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, \*  
dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte ‹\*›  
gravata est super me manus tua.  
Conversus sum in aerumna, \*  
dum configitur mihi spina.  
Delictum meum cognitum tibi feci, \*  
et iniustitiam meam non abscondi.  
Dixi: «Eloquar adversum me iniustitiam meam Domino», \*  
et tu remisisti impietatem cordis mei.  
Pro hac orabit ad te omnis sanctus \*  
in tempore opportuno.  
Verumtamen in diluvio aquarum multarum \*  
ad illum non approximabunt.  
Tu es mihi refugium a tribulatione \*  
quae circumdedit me:  
Exsultatio mea, libera me ‹\*›  
a circumdantibus me.  
«Intellectum dabo tibi, et instruam te in via hac, qua gradieris: \*  
firmabo super te oculos meos.  
Nolite fieri sicut equus et mulus \*  
in quibus non est intellectus.  
In freno et camo maxillas eorum constringe, \*  
qui non approximant ad te».  
Multa flagella peccatorum, \*  
sperantes autem in Domino misericordia circumdabit:  
Laetamini in Domino et exsultate, iusti, \*  
et gloriamini, omnes recti corde.

### **Psalmus 37.**

*Domine ne in ira tua arguas me etc.*

Domine, ne in ira tua arguas me, \*  
neque in furore tuo corripas me.  
Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, \*  
et confirmasti super me manum tuam,  
Nec est sanitas in carne mea a vultu irae tuae, \*  
et non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum,  
Quoniam iniquitates meae superposuerunt caput meum, \*  
et sicut onus grave gravatae sunt super me.  
Computruerunt et putruerunt livores mei \*  
a facie insipientiae meae.  
Miseriis afflictus sum, \*  
et curvatus sum usque in finem valde.

Tota die contristatus ingrediebar,  
quoniam anima mea completa est illusionibus, \*  
et non est sanitas in carne mea.  
Incurvatus sum et humiliatus sum nimis: \*  
rugiebam a gemitu cordis mei.  
Domine, ante te omne desiderium meum, \*  
et gemitus meus non est absconditus a te:  
Cor meum conturbatum est in me, et dereliquit me virtus mea, \*  
et lumen oculorum meorum non est mecum.  
Amici mei, et proximi mei  
adversum me appropriaverunt et steterunt, \*  
et proximi mei a longe steterunt.  
Et vim faciebant, qui quaerebant animam meam;  
et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, < \* >  
et dolos tota die meditabantur.  
Ego autem velut surdus non audiebam, \*  
et sicut mutus qui non aperit os suum.  
Factus sum sicut homo non audiens, \*  
et non habens in ore suo increpationes.  
Quoniam in te, Domine, speravi, \*  
tu exaudies me, Domine Deus meus.  
Quoniam dixi: «Ne aliquando insultent in me inimici mei; \*  
et dum commoverentur pedes mei, super me magna locuti sunt».  
Quoniam ego ad flagella paratus sum, \*  
et dolor meus ante me est semper.  
Quoniam iniquitatem meam ego pronuntiabo, \*  
et cogitabo pro peccato meo.  
Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, \*  
et multiplicati sunt qui me oderunt inique.  
Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, \*  
quia subsequebar iustitiam.  
Ne derelinquas me, Domine Deus meus: \*  
ne discesseris a me.  
Intende in adiutorium meum, \*  
Domine, Deus salutis meae.

### **Psalmus 50.**

*Miserere mei Deus etc.*

Miserere mei, Deus, \*  
secundum magnam misericordiam tuam,  
Et secundum multitudinem miserationum tuarum \*  
dele iniquitatem meam.

Et multum lava me ab iniustitia mea, \*  
et a delicto meo munda me,  
Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, \*  
et delictum meum contra me est semper.  
Tibi soli peccavi et malum coram te feci, \*  
ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.  
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, \*  
et in delictis peperit me mater mea.  
Ecce enim veritatem dilexisti: \*  
incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.  
Asperges me hyssopo, et mundabor: \*  
lavabis me, et super nivem dealbabor.  
Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, \*  
et exultabunt ossa humiliata.  
Averte faciem tuam a peccatis meis, \*  
et omnes iniquitates meas dele.  
Cor mundum crea in me, Deus, \*  
et spiritum rectum innova in visceribus meis.  
Ne proicias me a facie tua, \*  
et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.  
Redde mihi laetitiam salutaris tui, \*  
et Spiritu principali confirma me.  
Docebo iniquos vias tuas, \*  
et impii ad te convertentur.  
Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae, \*  
et exultabit lingua mea iustitiam tuam.  
Domine, labia mea aperies, \*  
et os meum annuntiabit laudem tuam.  
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: \*  
holocaustis non delectaberis.  
Sacrificium Deo spiritus contribulatus, \*  
cor contritum et humiliatum Deus non spernit.  
Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, \*  
ut aedificentur muri Hierusalem.  
Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta; \*  
tunc imponent super altare tuum vitulos.

### **Psalmus 101.**

*Domine exaudi orationem meam etc.*

Domine, exaudi orationem meam, \*  
et clamor meus ad te perveniat.

Ne avertas faciem tuam a me: \*  
in quacumque die tribulor, inclina aurem tuam ad me,  
In quacumque die invocavero te, \*  
cito exaudi me.  
Quoniam defecerunt sicut fumus dies mei, \*  
et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.  
Percussus sum sicut foenum, et aruit cor meum, \*  
quoniam oblitus sum manducare panem meum.  
A voce gemitus mei \*  
adhaesit os meum carni meae.  
Similis factus sum pelicano in solitudine, \*  
et factus sum sicut nycticorax in domicilio.  
Vigilavi, \*  
et factus sum sicut passer singularis in aedificio.  
Tota die exprobrabant me inimici mei, \*  
et qui laudabant me, adversum me iurabant.  
Quoniam cinerem sicut panem manducavi, \*  
et potum meum cum fletu miscebam,  
A facie irae tuae et indignationis tuae, \*  
quoniam extollens elisisti me.  
Dies mei sicut umbra declinati sunt, \*  
et ego velut foenum arui.  
Tu autem, Domine, in aeternum manes, \*  
et memoriale tuum in generatione et progenie.  
Tu exurgens misereberis Sion, quoniam tempus miserendi eius, \*  
quoniam venit tempus.  
Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui lapides eius, \*  
et pulveris eius miserebuntur.  
Et timebunt gentes nomen Domini \*  
et omnes reges terrae gloriam tuam.  
Quia aedificavit Dominus Sion, \*  
et videbitur in maiestate sua.  
Et respexit in orationes humilium, \*  
et non sprexit preces eorum.  
Scribantur haec in generatione altera, \*  
et plebs quae creabitur laudabit Dominum.  
Quoniam prospexit ex alto sancto suo, \*  
Dominus de coelo in terram prospexit,  
Ut audiret gemitum vinculatorum, \*  
ut solvat filios morte afflictorum,  
Ut annuntietur in Sion nomen Domini \*  
et laus eius in Hierusalem,



In conveniendo populos in unum \*  
et reges, ut serviant Domino.  
Et respondit illi in via virtutis suae: \*  
«Paucitatem dierum meorum annuntia mihi.  
Ne educas me in dimidium dierum meorum, \*  
in generatione et generatione anni tui.  
Ab initio terram tu fundasti, Domine, \*  
et opera manuum tuarum sunt coeli.  
Ipsi peribunt, tu autem permanes,  
et omnes sicut vestimentum veterascent, \*  
et tamquam opertorium mutabis eos, et mutabuntur.  
Tu autem idem ipse es, \*  
et anni tui non deficient.  
Filii servorum tuorum habitabunt in ea, \*  
semen ipsorum in aeternum dirigetur».

### **Psalmus 129.**

*De profundis clamavi ad te, Domine etc.*

De profundis clamavi ad te, Domine. \*  
Domine, exaudi vocem meam,  
Fiant aures tuae intendentes \*  
in vocem orationis meae.  
Si iniquitates observaveris, Domine, \*  
Domine, quis sustinebit?  
Quia apud te propitiatio est, \*  
et propter nomen tuum sustinui te, Domine.  
Sustinuit anima mea in verbo tuo, \*  
speravit anima mea in Domino,  
A vigilia matutina usque in noctem. \*  
Speret Israel in Domino,  
Quia apud Dominum misericordia est, \*  
et copiosa apud eum redemptio.  
Et ipse redimet Israel (\*),  
ab omnibus iniquitatibus eorum.

### **Psalmus 142.**

*Domine exaudi orationem meam etc.*

Domine, exaudi orationem meam, \*  
auribus percipe deprecationem meam in veritate tua.  
Exaudi me in tua iustitia, \*  
et non intres in iudicium cum servo tuo,

Quoniam non iustificabitur \*  
in conspectu tuo omnis vivens.  
Quia persecutus est inimicus animam meam, \*  
humiliavit in terra vitam meam,  
Collocavit me in tenebris, sicut mortuos aeterni: \*  
et anxius est super me spiritus meus.  
In me conturbatum est cor meum:  
    memoratus sum dierum antiquorum, \*  
et meditatus sum in omnibus operibus tuis,  
    et in factis manuum tuarum meditabor.  
Expandi manus meas ad te: \*  
anima mea sicut terra sine aqua tibi.  
Velociter exaudi me, Domine: \*  
defecit spiritus meus.  
Ne avertas faciem tuam a me, \*  
et ero similis descendentibus in lacum.  
Auditam mihi fac mane misericordiam tuam, \*  
quia in te speravi, Domine.  
Notam mihi fac, Domine, viam in qua ambulem, \*  
quoniam ad te levavi animam meam.  
Eripe me de inimicis meis, Deus, \*  
quia ad te confugi.  
Doce me facere voluntatem tuam, \*  
quia tu es Deus meus.  
Spiritus tuus bonus ‹\*›  
deducet me in terram rectam:  
Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in tua iustitia, \*  
et educes de tribulatione animam meam.  
Et in misericordia tua disperdes inimicos meos,  
    et perdes omnes qui tribulant animam meam, \*  
quia ego servus tuus sum.

*Psalmi sequentes et cantica dici etiam poterunt pro libito:*

**[III.  
Psalmi et cantica ad libitum]**

**Psalmus 94.**

*Venite, exultemus Domino; iubilemus Deo etc.*

Venite, exultemus Domino, \*  
iubilemus Deo salutari nostro.  
Praeveniamus faciem eius in confessione, \*  
et in psalmis iubilemus illi.  
Quoniam Deus magnus Dominus, \*  
et rex magnus super omnes deos,  
Quoniam in manu eius sunt omnes fines terrae, \*  
et altitudines montium ipsius sunt,  
Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, \*  
et aridam fundaverunt manus eius.  
Venite, adoremus, et procidamus ante eum, \*  
et ploremus coram Domino, qui fecit nos,  
Quia ipse est Dominus Deus noster, \*  
nos autem populus eius, et oves manus eius.  
Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, \*  
sicut in exacerbatione.  
«Secundum diem tentationis in deserto,  
ubi tentaverunt me patres vestri, \*  
probaverunt, et viderunt opera mea.  
Quadraginta annis infensus fui generationi huic, \*  
et dixi: “Semper hi errant corde.  
Ipsi autem non cognoverunt vias meas, quibus iuravi in ira mea, \*  
si introibunt in requiem meam”».

**Psalmus 87.**

*Domine Deus salutis meae, in die clamavi etc.*

Domine, Deus salutis meae, \*  
in die clamavi et nocte coram te.  
Intret oratio mea in conspectu tuo, \*  
inclina aurem tuam ad precem meam, Domine.  
Quia repleta est malis anima mea, \*  
et vita mea ad infernum appropriavit.  
Aestimatus sum cum descendentibus in lacum, \*  
factus sum sicut homo sine adiutorio,  
inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in monumentis,  
quorum non meministi amplius: \*  
et ipsi de manu tua expulsi sunt.  
Posuerunt me in lacu inferiori, \*  
in tenebrosis et in umbra mortis.  
In me confirmata est ira tua, \*  
et omnes elationes tuas super me induxisti.  
Elongasti notos meos a me: \*  
posuerunt me in abominationem sibi.  
Traditus sum, et non egrediebar: \*  
oculi mei infirmati sunt prae inopia.  
Clamavi ad te, Domine, \*  
tota die expandi manus meas ad te.  
Numquid mortuis facies mirabilia? <\*>  
Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?  
Numquid enarrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? <\*>  
Aut veritatem tuam in perditione?  
Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? <\*>  
Aut iustitia tua in terra obliterata?  
Et ego, Domine, ad te clamavi, \*  
et mane oratio mea praeveniet te.  
Ut quid, Domine, repulisti animam meam? <\*>  
Avertis faciem tuam a me?  
Egenus sum ego, et in laboribus a iuventute mea: \*  
exaltatus autem, humiliatus sum et confusus.  
In me pertransierunt irae tuae, \*  
et terrores tui conturbaverunt me.  
Circumdederunt me sicut aqua tota die: \*  
circumdederunt me simul.  
Elongasti a me amicum et proximum, \*  
et notos meos a miseria mea.

### **Psalmus 90.**

*Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione etc.*

Qui habitat in adiutorio altissimi, \*  
in protectione Dei coeli commorabitur.  
Dicet Domino: «Susceptor meus es, et refugium meum: \*  
Deus meus, sperabo in eum.  
Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium \*  
et a verbo aspero».  
Scapulis suis obumbrabit tibi, \*  
et sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno, \*  
et a iaculo volante per diem,  
A negotio perambulante in tenebris, \*  
a ruina et daemónio meridiano.  
Cadent a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis, \*  
ad te autem non approximabunt.  
Verumtamen oculis tuis considerabis, \*  
et retributionem peccatorum videbis.  
«Quoniam tu es, Domine, spes mea, \*  
altissimum posuisti refugium tuum».  
Non accedent ad te mala, \*  
et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.  
Quoniam angelis suis mandavit de te, \*  
ut custodiant te in omnibus viis tuis.  
In manibus portabunt te, \*  
ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.  
Super aspidem et basiliscum ambulabis, \*  
et conculcabis leonem et draconem.  
«Quoniam in me speravit, liberabo eum: \*  
protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.  
Invocabit me, et ego exaudiam eum: \*  
cum ipso sum in tribulatione.  
Eripiam eum, et glorificabo eum:  
longitudine dierum adimplebo eum, \*  
et ostendam illi salutare meum».

### **Canticum Ionaë 2.**

*Clamavi ad Dominum Deum meum in tribulatione mea etc.*

Clamavi ad Dominum, Deum meum: \*  
in tribulatione mea.  
Et exaudivit de ventre inferi clamorem meum \*  
et exaudisti vocem meam.  
Proiecisti me in altitudinem cordi maris, \*  
et flumina me circumdederunt.  
Omnes altitudines tuae et fluctus tui \*  
super me transierunt.  
Et ego dixi: Expulsus sum ab oculis tuis \*  
forsitan adiiciam, ut respiciam ad templum sanctum tuum.  
Circumfusa est mihi aqua usque ad animam meam \*  
abyssus circuivit me.  
Postremum est caput meum in scissuris montium \*  
descendi in terram, cuius vectes sunt continentes aeterni.

Et ascendat de corruptione vita mea \*  
ad te, Domine Deus meus.  
In hoc quod defecit anima mea a me \*  
Domini memoratus sum.  
Et veniat oratio mea ad templum sanctum tuum \*  
observantes vana et falsa, misericordiam suam derelinquunt.  
Ego autem cum voce confessionis et supplicationis \*  
immolabo tibi.  
Quaecumque vovi \*  
reddam tibi, Salvatori meo, Domino.

### **Canticum Ezechiae - Isaiae 38.**

*Ego dixi in dimidio dierum meorum etc.*

Ego dixi in dimidio dierum meorum :  
Vadam ad portas inferi ; \*  
quaesivi residuum annorum meorum.  
Dixi : Non videbo Dominum Deum \*  
in terra viventium ;  
non aspiciam hominem ultra, \*  
et habitorem quietis.  
Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, \*  
quasi tabernaculum pastorum.  
Praecisa est velut a texente vita mea ;  
dum adhuc ordire, succidit me : \*  
de mane usque ad vesperam finies me.  
Sperabam usque ad mane ;  
quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea : \*  
de mane usque ad vesperam finies me.  
Sicut pullus hirundinis, sic clamabo ; \*  
meditabor ut columba.  
Attenuati sunt oculi mei, \*  
suspicientes in excelsum.  
Domine, vim patior : \*  
responde pro me.  
Quid dicam, aut quid respondebit mihi, \*  
cum ipse fecerit ?  
Recogitabo tibi omnes annos meos \*  
in amaritudine animae meae.  
Domine, si sic vivitur,  
et in talibus vita spiritus mei, \*  
corripies me, et vivificabis me.

Ecce in pace \*  
amaritudo mea amarissima.  
Tu autem eruisti animam meam \*  
ut non periret ;  
proiecisti post tergum tuum \*  
omnia peccata mea.  
Quia non infernus confitebitur tibi,\*  
neque mors laudabit te :  
non expectabunt qui descendunt in lacum \*  
veritatem tuam.  
Vivens, vivens ipse confitebitur tibi,\*  
sicut et ego hodie ;  
pater filiis notam faciet \*  
veritatem tuam.  
Domine, salvum me fac !  
et psalmos nostros cantabimus  
cunctis diebus vitae nostrae \*  
in domo Domini.

*Deinde dicuntur Litaniae communes; quibus adduntur etiam sancti, qui sunt in propriis Litaniiis illius ecclesiae, ubi supplicationes fiunt.*

[IV.]

**Litaniae sanctorum**

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Domine miserere.

Domine miserere.

Domine miserere.

Christe libera nos.

*Salvator libera nos.*

Christe libera nos.

*Salvator libera nos.*

Christe libera nos.

*Salvator libera nos.*

Sancta Maria

*intercede pro nobis.*

Sancte Michael

*intercede pro nobis.*

Sancte Gabriel

*intercede pro nobis.*

Sancte Raphael

*intercede pro nobis.*

Sancte Ioannes

*intercede pro nobis.*

Sancte Petre

*intercede pro nobis.*

Sancte Paule

*intercede pro nobis.*

Sancte Andrea

*intercede pro nobis.*

Sancte Iacobe

*intercede pro nobis.*

Sancte Ioannes

*intercede pro nobis.*

Sancte Philippe

*intercede pro nobis.*

Sancte Bartholomaeae

*intercede pro nobis.*

Sancte Thoma

*intercede pro nobis.*

Sancte Mattheae

*intercede pro nobis.*

Sancte Iacobe

*intercede pro nobis.*

Sancte Simon

*intercede pro nobis.*

Sancte Thadaee

*intercede pro nobis.*

Sancte Matthia

*intercede pro nobis.*

Sancte Barnaba

*intercede pro nobis.*

Sancte Marce

*intercede pro nobis.*

Sancte Luca

*intercede pro nobis.*

Sancte Stephane

*intercede pro nobis.*

Sancte Protasi

*intercede pro nobis.*

Sancte Gervasi

*intercede pro nobis.*

Sancte Nazari

*intercede pro nobis.*

Sancte Celse

*intercede pro nobis.*



Sancte Victor	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Nabor	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Felix	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Sisini	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Martyri	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Alexander	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Georgi	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Vitalis	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Agricola	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Calimere	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Babila	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Romane	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Corneli	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Cypriane	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Laurenti	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Sebastiane	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Vincenti	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Cosma	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Damiane	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Fidelis	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Carpophore	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Aquiline	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Thecla	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Pelagia	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Febronia	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Valeria	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Agnes	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Catharina	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Anastasia	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Caecilia	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Agatha	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Euphemia	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Lucia	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Margarita	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Apollonia	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Ursula	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Martha	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Maria Magdalena	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Marcellina	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Anna	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancta Perpetua	<i>intercede pro nobis.</i>

Sancta Monica	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Ioseph	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Anatalo	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Materne	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Mona	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Mirocles	<i>intercede pro nobis.</i>
Sanct e Dionysi	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Simpliciane	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Sylvester	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Hieronyme	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Gregori	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Benedicte	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Francisce	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Bernarde	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Augustine	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Nicolae	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Martine	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Galdine	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Carole	<i>intercede pro nobis.</i>
Sancte Ambrosi	<i>intercede pro nobis.</i>
Omnes sancti	<i>intercedite pro nobis.</i>
Exaudi Christe	<i>voces nostras.</i>
Exaudi Christe	<i>voces nostras.</i>
Exaudi Christe	<i>voces nostras.</i>
Exaudi Deus	<i>et miserere nostri.</i>
Exaudi Deus	<i>et miserere nostri.</i>
Exaudi Deus	<i>et miserere nostri.</i>
Kyrie eleison.	
Kyrie eleison.	
Kyrie eleison.	

✠ Dominus vobiscum.

✠ Et cum spiritu tuo.

### **Oratio [I.]**

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram: et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis absolvat.

### **Oratio [II.]**

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

**Oratio [III].**

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus: ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

*R* Amen.

*Y* Dominus vobiscum.

*R* Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

Kyrie eleison.

*Y* Benedicamus Domino.

*R* Deo gratias.

*Deinde Preces.*

[V.]  
**Preces**

Pater noster                      *secreto [usque ad]*

℣ Et ne nos inducas in tentationem.

℟ Sed libera nos a malo.

℣ Ego dixi, Domine, miserere mei.

℟ Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣ Convertere, Domine, aliquantulum.

℟ Et deprecabilis esto super servos tuos.

℣ Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟ Et salutare tuum da nobis.

℣ Dominus virtutum nobiscum.

℟ Susceptor noster Deus Iacob.

℣ Domine, exaudi orationem nostram.

℟ Et clamor noster ad te perveniat,

℣ Erurge, Christe, adiuva nos.

℟ Et libera nos propter nomen tuum.

**Psalmus 50.**

*Miserere mei, Deus, secundum magnam etc.*

Miserere mei, Deus, \*  
secundum magnam misericordiam tuam,  
Et secundum multitudinem miserationum tuarum \*  
dele iniquitatem meam.  
Et multum lava me ab iniustitia mea, \*  
et a delicto meo munda me,  
Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, \*  
et delictum meum contra me est semper.  
Tibi soli peccavi et malum coram te feci, \*  
ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.  
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, \*  
et in delictis peperit me mater mea.  
Ecce enim veritatem dilexisti: \*  
incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: \*  
lavabis me, et super nivem dealbabor.  
Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, \*  
et exultabunt ossa humiliata.  
Averte faciem tuam a peccatis meis, \*  
et omnes iniquitates meas dele.  
Cor mundum crea in me, Deus, \*  
et spiritum rectum innova in visceribus meis.  
Ne proicias me a facie tua, \*  
et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.  
Redde mihi laetitiam salutaris tui, \*  
et Spiritu principali confirma me.  
Docebo iniquos vias tuas, \*  
et impii ad te convertentur.  
Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae, \*  
et exultabit lingua mea iustitiam tuam.  
Domine, labia mea aperies, \*  
et os meum annuntiabit laudem tuam.  
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: \*  
holocaustis non delectaberis.  
Sacrificium Deo spiritus contribulatus, \*  
cor contritum et humiliatum Deus non spernit.  
Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, \*  
ut aedificentur muri Hierusalem.  
Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta; \*  
tunc imponent super altare tuum vitulos.

*Finito Psalmo, dicitur:*

℣ Domine, averte faciem tuam a peccatis nostris.

℟ Omnes iniquitates nostras dele.

℣ Dominus vobiscum.

℟ Et cum spiritu tuo.

**Oratio I.**

*de sancto, in cuius ecclesia supplicationes fiunt.*

**Oratio II.**

Da nobis, quasumus, Domine, piaae supplicationis affectum, et pestilentiam famemque propitiatus averte: ut mortalium corda cognoscant, et te indignante talia flagella prodire, et te miserante cessare.

### **Oratio III.**

Omnipotens sempiternae Deus, conditor et inhabitator supernae civitatis Hierusalem, intercedente beato Pontifice et Confessore tuo Ambrosio patrono nostro cum omnibus Sanctis, civitatem istam cum habitatoribus suis pervigili protectione custodi: ut te donante fiat domicilium stabilitatis, incolumitatis et pacis; et a malis omnibus sit segura.

### **Oratio IIII.**

Omnipotens et misericors Deus, moestorum consolatio et laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium: ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse.

### **Oratio V.**

A cunctis nos, quaesumus, Domine, mentis et corporis defende periculis: et intercedente beata et gloriosa Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato Pontifice nostro Ambrosio et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem: ut destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua segura tibi serviat libertate. Per Dominum nostrum etc.

**R** Amen.

**[VI.]**  
**Orationes aliae ad libitum**

**Oratio [I.]**

Deus, qui non vis mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum, populum tuum, quaesumus, ad te converte propitius: ut dum tibi devotus extiterit, iracundiae tuae flagella ab eo removeas.

**Oratio [II.]**

Populum tuum, quaesumus, omnipotens Deus, ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate: ut qui tuae pietatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari.

**Oratio [III.]**

Deus, qui imminentem Ninivitis interitum sola misericordia removisti, quibus, ut misericors eristeres, conversionis poenitentiam praestitisti: respice, quaesumus, populum tuum ante conspectum misericordiae tuae prostratum, ut quos Unigeniti tui Sanguine redemisti, non patiaris propter misericordiam tuam mortalitatis interire supplicio.

**Oratio [IIII.]**

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

**Oratio [V.]**

Parce, Domine, parce populo tuo, et dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret.

**Oratio [VI.]**

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et animarum ac corporum medere languoribus; ut remissione percepta, in tua semper benedictione laetemur.

**Oratio [VII.]**

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et intercedente beata et gloriosa Dei Genitrice Maria semper Virgine, cum beato Sebastiano Martyre tuo et omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundia, terroribus libera, et misericordiae tuae fac largitate securum. Per Christum Dominum nostrum.

**R** Amen.

## Fonti

**Fonte principale:** *Antiphonae, psalmi, preces et orationes ad usum supplicationum tempore pestis, Caroli S.R.E. presb. card. S. Praxedis archiepiscopi iussu editae*, Mediolani, apud Pacificum Pontium, 1577 (poi in *Acta Ecclesiae Mediolanensis, a Carolo cardinali S. Praxedis archiepiscopo condita, Federici card. Borromaei archiepiscopi Mediolani iussu undique diligentius collecta et edita*, Mediolani, ex officina typographica quondam Pacifici Pontij, 1599, pp. 1053-1054) [d'ora in poi: APPO].

### I. Antiphonae pro arbitrio recitandae

**Per il testo:** APPO.

### II. Septem psalmi poenitentiales, una cum Litanis sanctorum

**Schema:** *Breviarium ambrosianum Caroli S.R.E. cardinalis tit. S. Praxedis. archiepiscopi iussu recognitum atque editum*, Mediolani, apud Pontios et Besutios fratres (apud Pacificum Pontium et socios), 1582, f. 563r [d'ora in poi: BAC];

**Testi:** *Psalterium ambrosianum, rubricis et decuriis, more et ritu Mediolanensis Ecclesiae distinctum, Caroli Borromaei, S.R.E. cardinalis et archiepiscopi Mediolani iussu recognitum et emendatum diligenter*, Mediolani, apud Matthaeum Besutium, ad signum Stellae 1574, ad locum [d'ora in poi: PAB].

### III. Psalmi et cantica ad libitum

**Schema:** APPO;

**Testi:** PAB, ad locum (salmi); BAC, ff. 3v-4r; (cantico di Giona); *Biblia sacra quid in hac editione a theologis Lovaniensibus praestitum sit, paulo post indicatur*, Antverpiae, ex Officina Christophori Plantini, 1583, p. 481 (cantico di Ezechia).

### III. Litaniae sanctorum

**Testo:** BAC, [Communia], ff. 563v-564r.

### V. Preces

**Testo:** APPO.

### VI. Orationes aliae ad libitum

**Testi:** APPO; *Missale iuxta morem sanctissimi doctoris et pontificis Ambrosii noviter impressum ac mendis pluribus emendatum et correctum additionibusque nonnullis necessario auctum*, Mediolani, venduntur ad signum sancti Michaelis apud Forum piscarium vetus (imprimebat Innocentius Ciconiarius, impensis propriis ac Benedicti Pilizoni eius soceri), 1560, ff. 264r, 284r.